


Phæn, VIII.



facile cognosceret. Attamen, cum rei videndæ desiderium apud Auditores nostros haut uno se proderet indicio, aliqui etiam multò confirmationes se fore crederent in eo, quod è simili circa hydrargyrum experimento per consequentiam tantùm deduxeramus; nihil istis deterriti laboribus aggressi sumus, ac plurium dierum labore siphonem reflexum è pluribus tubis vitreis sibi mutuò insertis, intra horreum publicum recondendis decimis destinatum, ereximus, ejus circiter formæ, quam hîc ad marginem, tametsi partium justâ proportionem ob angustiam spatii accuratè non expressâ, cernere licet, & erectum sic, ut alterum ejus crus AB pedem unum circiter esset brevius altero AC, aquâ ex infuso croco flavescente replere desuper per orificium A in ipso flexu extremo A relictum cœpimus; sed hoc primo tentamine ex duplici capite infelices, id quod & aliis similia fortè tentaturis, & nobis ipsis in futuram cautelam hîc adnotâsse non inutile futurum credimus. Primò enim, quod eventus nos docuit, in cœmento vel glutine, cujus ope tuborum insertiones D, E, F, G, H, contra aquæ infusæ effluxum & aëris externi subreptionem erant accuratissimè muniendæ, vitium erat; utpote